

Q. F. F. Q. S.

2
60.

THESES PHILOSOPHICÆ,

QUAS,

Suffragante Ampliss. Senat. Philosoph. in Regia Aca-
demia Aboënsi,

Sub PRÆSIDIO

VIRI Maxime Reverendi atque Celeberrimi,

D:NI WILHELMI ROB.

NÅÅF,

Poëſ. PROFES. Reg. & Extraord.

Pro GRADU

Publicæ Ventilationi submittit

ANDREAS TIMBERG,

WESTRO-GOTHUS,

DIE XIX. MAJ. ANNI MDCCCLX.

L. H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

*se, si vera Civitatis DEI magnitudo perpendatur,
durior est, quam ut assensum impetrare
queat.*

THES. IV.

Si quis etiam, quam idem illustris Vir de permissione mali fovet doctrinam, vid. Hanschii Theor. Metaphys. XXXII ex Phil. Leib. tanto philosopho prorsus indignam judicaverit, æquior esse volo, quam ut illud ægre feram. Præterquam enim quod arbitrarie conficta sit omnique destituta fundamento, justitiam pariter ac sanctitatem DEI, quicquid argutetur Bilfingerus de Orig. & permis. mali §. 422, adeo adversa petit fronte, ut nihil supra.

THES. V.

A Pud æquos rerum æstimatores ut firmum omnino & inconcussum manet, facta, sub conditione nunquam implenda ad existentiam transitura, nec præmium, nec poenam mereri; ita frustra sunt, inque summas difficultates, sine emergendi spe, dantur præcipites, qui ad ductum Reuschii, &, qui nuper ipsi pollicem pressit, Car. Goth.

THESIS I.

Systema philosophiæ recentioris qui paullo sagaciori perlustraverit animo, is, sicubi alias, hic certe, multa animadvertis, quæ cum libertate mentis humanæ, vel plane non, vel non nisi adhibita interpretatione plus quam liberali, in concordiam redigi possint.

THES. II.

In repræsentatione omnium mundorum possibilium qui primum & adæquatum de DEO conceptum se invenisse gloriantur, næ illi, si quid ego judico, in inani subtilitate nescio quam querunt laureolam.

THES. III.

SEntentia Leibnitii, Theodic. §. 19: *Maxim comparatum bono, pro nihilo haberi pos-*

Mulleri, peccatum Adamiticum ex scientia DEI media nobis imputari, dicitant.

THES. VI.

Satis quandoquidem numerosa est eorum phalanx, qui doctrinam de resuscitatione mortuorum, quam Sacra Oracula delineant, tanquam absurdam rident, variisque cavillationibus vexant; laude sua haudquam fraudandos censemus, qui contra id genus homines, seposita revelationis sacre, divini hujus actus possibilitatem vindicant, solide probantes, conceptu ejus nihil omnino contineri, quod veritates, lumine naturae cognitas, convellat infirmetque. At longius qui progrediuntur, & cum *Siebritzio*, aliisque earundem partium, futuram olim restitutionem vitae, morte corporum amissae, ex ratione, sibi reicta, demonstrandam fuscipiunt, eorum operam pro inani merito reputamus.

THES. VII.

Artes politiores scientiasque in universum omnes, tanquam generi humano noxias morumque corruptrices, eo siquidem successu

successu redarguit Vir ille ingeniosissimus *Joh. Rousseau*, ut ab inclita Academia Dijonensi amplissimum reportaret præmium; fallor, an verius quidquam de eo dici possit, quam quod rem pessimam optime egredit.

THES. VIII.

Qui, præeunte Wolfio, nescio quo prætex-
tu sibi aliisque fidem facere conantur,
legem naturae adeo abstracte tractandam es-
se, ut ab Atheis recipi queat, aut lusu
verborum fumum gerrasque Siculas ven-
dunt, aut doctrinam morum ita institui vo-
lunt, ac si tantum liceret, quantum phi-
lautiae libuerit.

THES. IX.

Nec magis sobrie philosophatur *Joh. Jac. Schmausius*, dum, in *novo suo Juris Nat. systemate*, omnes in id intendit ner-
vos, ut instinctibus naturae, veteribus ~~πεντε~~
ναὶ φύσι dictis, moralitatem actionum hu-
manarum metiendam esse, obtineat. Quam-
vis enim explorata sit veritas, hujusmodi
instinctus nobis non frustra inditos esse,

Sed in finies ente supremo dignissimos, ipsius videlicet gloriam nostramque perfectionem, per quas totum hoc universum est explicabile; juxta tamen fida edocemur experientia, nos per motiva ab intellectu petitam, posse instinctus istos eo dirigere, ut finies a DEO præfixos exsequantur: posse etiam ex adverso eosdem per motiva sensualia, variis blandimentis condita, ita determinare, ut a dictis finibus immane quantum discrepent. Unde, vel me tacente, res ipsa loquitur, tantum abesse, ut, quos nobis natura insevit, impetus stimulique, tanquam basis & fundamentum, doctrinæ Juris Naturæ substerni debeant, ut regula potius, ad quam dirigantur, magnopere opus habeant.

THES. X.

SIicut Lex naturæ nos ad unum omnes nostræ nunquam satis deplorandæ, & connatis viribus ineluctabilis, miseriæ convincit, convictisque occasionem subministrat investigandi sanctiorem viam salutis, post fata obtainendæ; ita, finem juris Naturæ ambitu

bitu hujus vitæ adeo non includi, ut ad futuram se potius extendat, contra Pufendorfium recte monet Leibnitius.

THES. XI.

PAtriam si quis a totali exitio, vel gravi saltem discrimine, servare valeat, in hoc vel cum vitæ periculo ipsi elaborandum esse tuto asserimus; nec illis adversi, qui innoxium civem, ubi instar victimæ publicæ ab hoste, civitati durissima quævis minitante, depositur, ad se dedendum certamque mortem oppetendam, ex principiis justi neutiquam teneri, contendunt. Inter utramque enim sententiam qui pugnam aliquam comminiscuntur, opinione præjudicata certissime laborant.

THES. XII.

REgulas prudentiæ, quas sanior subministrat Politica, veritates esse, easdemque certas & demonstrabiles, nemo ut, nisi præcipiti judicandi vitio plane abreptus, facile inficias iverit: ita nec diffitendum, in applicatione earundem, absque imprudentiæ nota, errorem committi posse; idque tum

tum demum maxime, ubi intervenerint causas, quorum certa & infallibilis præsensio finitæ mentis aciem longe superat. Vulgatum igitur illud Cardinalis Richelii: *Ab imprudenti infelix non nisi nomine differt, hyperbolam magis, quam nudam sapit veritatem.*

THES. XIII.

AN fideli cum infidelibus, duriori urgen-
te necessitatis telo, foedera inire li-
ceat, operiosius alii discutiant; mihi vero
fortasse ignosci poterit, si absque scrupulo
in eorum transirem castra, qui a veræ reli-
gionis extorre in tuto collocari, quam Christiano
in prædam cedere, præoptant.

THES. XIV.

VAnam omnino & ineptam operam su-
munt, qui cum auctore libri, cui ti-
tulus: *L'Esprit des loix*, peccata vulgo gen-
tilium dicta, per humorum temperiem,
influxum climatis, & id genus alia, excusare
nituntur. Etiamsi enim in promtu
sint exempla, quæ inclinationes, ex his
fontibus dimanantes, ad mores formandos
mirum quantum conferre, probent; easdem
tamen,

tamen, occulta quadam vi, hominem in
calles & præcipitia vitiorum adeo non ab-
ripere, ut justa potius adhibita industria,
rationem haud gravate moderatricem agno-
scant dominamque, vel sola convincit ex-
perientia interna, ita evidens, ut in dū-
lium vocari nequeat, quin magnopere re-
clamat.

THES. XV.

MOrationibus olim populis in usu fuisse
novimus, ut quotiescumque civium a-
liquis, vel partium favore, vel divitiis, vel
alia quavis ratione, communem sortem ex-
cedere, & gloriolam præ cæteris consequi
videretur, eum, tanquam securitati publicæ
noxium, ad determinatum tempus in ex-
iliū mitterent. Nec diffitemur, summo im-
peranti magnopere cavendum esse, ne au-
ctoritas cujusquam privati usque eo ex-
crescat, ut reipublicæ formidabilis evadat,
eidemque pericula impune creare possit. At
eximiæ virtutis virum, nullam aliam ob-
caussam, quam prævalentem potentiam &
insignem existimationem, patria fortunisque
B expelle-

expellere, id vero non tantum justitiae, sed
& prudentiae regulis immane quantum re-
pugnat.

THES. XVI.

QUænam regiminis forma alteri præferri
debeat, inter se digradientur, quibus
volupe sit, modo meminerint, in errore
civem versari gravissimo, nisi pro ea, tan-
quam optima, calculum posuerit, quam
sartam testamque se habiturum esse,
sancte promiserit.

